

SUMMARIUM.

1. Fama quid significet. — 2. Unde sit dicta. — 3. Quid sit. — 4. Est duplex. — 5. Fama hominis quid sit. — 6. Quid Fama inter homines. — 7. Fama proprie loquendo non dicitur, nisi bona sit. — 8. Quid hæc sit. — 9. Famam bonam qui negligit, crudelis est. — 10. Fama interdum accipitur in malam partem. — 11. In quo differat Fama a Rumore. — 12. Rumor quid sit. — 13 ad 16. Ut Fama probet quatuor requiruntur. — 17. In concursu Famæ bonæ, et malæ, semper est preferenda bona. — 18. Fama probari potest per duos testes. — 19. Fama regulariter loquendo de per se non facit plenam probationem. — 20. Facit tamen semiplenam in causis civilibus; secus autem in Criminalibus. — 21 ad 26. Immo in variis casibus Fama facit etiam probationem plenam. — 27 ad 28. Immo Fama impeditur

(1. Fama, opinio, et existimatio idem significant; Glossa final. in l. 1. Cod. *ex quibus causis infamia irrogatur*, et Glossa in l. *Cognitio* 5, ff. *de extraordinariis Cognitionibus*, verb. *Existimatio*.

(2. Fama dicitur a *sando* sive loquendo; unde Fama dicitur quidquid de aliquo divulgatur, sive in bonam, sive in malam partem, ut tradit Calepinus in *Dictionario* verb. *Fama*. (3. Hinc fama ut sic, secundum Bartolum in l. *De minore* 10, § *Plurimum*, num. 8, de *Quæst.*, est communis opinio voce manifestata ex suspitione proveniens, et grosso modo dicitur *Vox populi*, et in vulgari dicimus *Vox populi*, *Vox Dei*, quia opinio, in qua omnes concurrunt, vel major pars, præsumitur in se habere rationem, ut dicit Baldus in c. *Quoniam* 11, num. 62 ad probationem. et in cap. *Vestra* 7, num. 2, de *Cohabitat. Cleric.* ac Fagnan. in dict. cap. *Vestra* num. 39, seu secundum Calderin. in dict. cap. *Vestra* num. 32, et Speculatorem in tit. *de Notor. crim.* § *Fama* num. 1, et 2. Fama est vulgi, loci, seu majoris partis vehemens opinio rei, de qua quæritur, consentiens, ut colligitur ex cap. *Inquisitionis* 21, in fin. de *Accusation.* cap. *Litteris* 12, et cap. *Tertio loco* 13, de *Præsumptionibus*.

(4. Fama ut sic est duplex, Fama hominis in se ipso et Fama hominis, quoad alios; seu Fama hominis, aut de homine, et Fama inter homines; Fagnan. in cit. cap. *Vestra* 7, n. 27, de *Cohabitat. Clericor.* Bartolus in cit. l. *de Minore* 10, § *Plurimum*, ff. de q. Mascard. de *Probation.* conclus. 749, num. 1, Reiffenstuel lib. 2, *Decretal.* tit. 20, § 12, n. 387, et alii passim. (5. Fama hominis in se ipso, seu Fama hominis, aut de homine, est illæse Dignitatis status legibus, et moribus comprobatus, l. *Cognitionum* 5, § *Existimatio*, ff. *de extraordinariis Cognitionibus*; Glossa in cap. *Infames* 3, verb. *Infamia*, quæst. 7. Speculator in tit. *de notoriis Criminalibus* § *Fama* in princip. Calderin. in cit. cap. *Vestra* n. 1, Fagnan. *ibid.* num. 27, et alii. (6. Fama hominis quoad alios, seu Fama inter homines est publica, seu famosa, ac communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspitione, et certo auctore proveniens; Sic Joan. Andr. in cit. cap. *Vestra* num. 9,

sufficit sine alia probatione ad impediendum Matrimonium inter sponso. — 29 ad 30. Quid ut Fama sufficiat pro plena probatione ad impediendum Matrimonium contrahendum. — 31. Ad deponendum contra hanc Famam admittuntur etiam propinqui, dummodo jurent. — 32. Relinquitur tamen arbitrio Judicis, an recipiendum, vel rejiciendum sit tale iuramentum consanguineorum. — 33. Rumor an sufficiat ad impediendum Matrimonium. — 34. Fama impeditur non sufficit ad dissolvendum matrimonium contractum. — 35. Fama publica existente contra Clericum fornicarium, si hic non se purget, puniendus est. — 36. Fama tamen sola, nisi sit de crimine notorio, non sufficit ad condemnandum. — 37. Fama non potest prævalere veritati. — 38. Fama affirmativa, vel prævalet, vel conquassat negativam. — 39. Nullum homini est dominium in famam suam. — 40. Quid inde sequatur. — 41. Alia remissive.

vers. *Fama inter homines*, Fagnan. *ibid.* n. 38. Anton. Nebrissensis in *Vocabulario juris* verb. *Fama*, Reiffenstuel l. c. n. 388, et alii, et sic dicitur respectu eorum inter quos viget seu circumfertur.

(7. Fama proprie loquendo non dicitur nisi bona sit, quia Fama est argumentum virtutis, ut recte inquit Baldus in cap. *in Genesi*, n. 96, de *Election.* et Fagn. loc. cit. num. 38. (8. Unde fama proprie loquendo, ut bona « est illæse dignitatis status legibus, et moribus comprobatus, et in nullo diminutus; » Glossa fin. in l. 1, Cod. *ex quibus causis infamia irrogatur*; Rota part. 17, recent. dec. 346, num. 17. (9. Et hanc Famam qui negligit, crudelis est; cap. *Nolo* 10, caus. 12, quæst. 1, ubi ex verbis Sancti Augustini sic expresse habetur: « Duæ sunt res, conscientia, et fama; conscientia necessaria est tibi, fama proximo; qui fidens conscientie suæ negligit famam suam, crudelis est: » Hinc Apostolus I ad *Corinth.* c. ix, num. 15, ait: *Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*, cui concinit cap. *Sacerdos* 9, caus. 1, quæst. 2, ibi: *Eapedit mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*, et *Ecclesiastici* cap. xli, n. 15, hoc datur pretiosum consilium: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni*. Et *Proverb.* cap. xv, num. 30, dicitur: *Fama bona impinguat ossa*, et *ibid.* cap. xxii, num. 1: *Melius est bonum nomen quam divitiæ multæ*. (10. Quamvis igitur Fama proprie loquendo non dicatur, nisi bona sit, seu in bonam partem accepta, interdum tamen Fama accipitur in malam partem, et speciali nomine appellatur *Infamia*, id est Famæ privatio, seu diminutio. Et hæc mala Fama, seu infamia, est *læse dignitatis status, vita, et moribus reprobatus*, Calderin. in cit. cap. *Vestra* n. 31, Fagnan. *ibidem* num. 21, Reiffenstuel loc. cit., art. 2, n. 29, et alii. De infamia hæc vide verb. *Infamia* per tot.

(11. Fama in multis differt a Rumore. Primo, quia Fama proprie est, quando tota Civitas, vel vicinia, seu major pars populi aliquid asserit. Rumor autem est, quando aliqua minor pars, nempe media, tertia, seu quarta

pars id asserit; Nebrissensis in *Vocabulario juris*, verb. *Rumor*. Abbas in c. *Super eo* n. 3, de *eo qui cognovit consanguin.* Fagnan. in cit. cap. *Vestra*, n. 44. Speculator in tit. *de Notoriis Criminalibus* § *Nunc de Rumore* num. 1, et alii. Secundo, quia Fama proprie dicta procedit a certo Auctore aliquid asserente; Rumor vero ab incerto Auctore; Baldus in cap. *Tua* num. 4, de *cohabit. Clericor.* Fagnan. loc. cit., n. 44. Reiffenstuel loc. cit. tit. 12, num. 392, et alii. Tertio, quia Rumor est quid minus, quam Fama, minusque probat, quam ipsa: Fama est enim communis populi assertio, Rumor autem est sola paucorum dictio; Abbas in cit. cap. *Vestra*, num. 12, vers. *Rumor vero*; Fagnan. *ibid.* n. 44. Reiffenstuel loc. cit. n. 392. Nebrissensis loc. cit. verb. *Rumor* et alii. Quarto, quia Fama vires suas acquirit eundo, et perseverando extendit, juxta illud Virgilii *Aeneidos* 4:

*Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo,*

et juxta illud Psalm. xix: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*: Rumor vero quandoque cito deficit, ut l. ultim. ff. *De hæredibus instituend.* Fagnan. loc. cit. num. 44, cum Baldo ibi allegato, Reiffenstuel loc. cit. num. 392, et alii. (12. Unde Rumor definitur, quod sit particularis assertio ex incerto Auctore, et sola suspitione proveniens. Sic Hostiensis in cit. cap. *Vestra* n. 3. Joan. Andr. *ibid.* num. 11. Calderin. *ibid.* num. 33. Fagnan. *ibid.* num. 44. Nebrissensis loc. cit. verb. *Rumor*, Speculator in tit. *de notoriis Criminalibus*, § *Nunc de Rumore* num. 1. Reiffenstuel loc. cit. n. 392, et colligitur ex cap. *Super eo* 5, de *eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*, ex cap. *Osius* 2, de *Election.* et ex cap. *Veniens* 19, de *Regularibus*.

(13. Ut fama probet, multa requiruntur. Primo requiritur, quod Fama originem duxerit a personis gravibus, honestis, fide dignis, et non interessatis: Unde non est attendenda Fama orta ab aliquibus malitiosis, suspectis, aut proprio commodo, suæque utilitati studentibus; cap. *Qualiter, et quando* 24, de *Accusationibus*, ibi: « Super clamorem, et Famam ad aures Superioris pervenit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis; » cap. *Licet ex quadam* 47, de *Testibus*, ibi: « Nec ab infamibus, et suspectis, sed a fide dignis, omni exceptione majoribus didicerint; » Rota recent. part. 4, tom. 1, decis. 76, num. 4, part. 12, decis. 419, n. 20, part. 17, decis. 207, n. 49, et sæpe alibi, et communis Doctorum.

(14. Secundo, ut Fama probet, requiritur, quod habeat certos Auctores, et rationabiles, ac probabiles causas, id est, quod testes super Fama deponentes teneantur exprimere certas personas, a quibus audierunt, et assignare causas probabiles, ex quibus populus inductus fuit ad sic credendum, v. g. quia audierunt a certis personis honestis, fide dignis, omnique exceptione majoribus, quæ asseruerunt ita se vidisse oculis suis, vel quia ille, de ejus morte dicitur publicam Famam

extare, ingressus est bellicum conflictum, aut navigans passus est naufragium, aut in flumen cecidit, seu projectus fuit, et amplius non est inventus, nec comparuit, licet diu expectatus sit, vel hujusmodi. Unde non est attendenda vana vox vulgi, et rumor in populo, quæ nullos habet certos Auctores, nec rationabiles, seu probabiles causas inducentes ad sic credendum; l. *Decurionum* 12, Cod. *de Pœnis*, ibi: « Vanæ voces populi non sunt audiendæ, » cap. *Osius Episcopus* 2, de *Electione*, junctis concordantiis a Glossa ibi in verb. *Populi* relatis; Rota recent. part. 4, tom. 1, dec. 250, n. 5, part. 12, dec. 420, n. 15, part. 17, dec. 43, n. 11, et sæpe alibi, ac Doctores communiter.

(15. Tertio, ut fama probet, requiritur, quod testes deponant de tempore præciso ante motam litem; cap. *Licet ex quadam* 47, de *Testibus*, ibi: « Et ante litem motam testificata didicerint. » Alioquin præsumeretur orta Fama primum occasione litis motæ, seu ex contestatione ipsius, sicque talis Fama non probaret; Rota recent. p. 3, dec. 117, n. 13, et dec. 562, num. 6, p. 7, dec. 182, num. 28, p. 8, dec. 283, n. 14, p. 10, dec. 158, n. 15, dec. 299, n. 8, p. 19, tom. 1, dec. 100, num. 20, et sæpe alibi, ac communis Doctorum.

(16. Quarto, ut Fama probet, requiritur, ut ea sit uniformis, constans, perpetua et inconcussa. Alioquin si esset difformis, inconstans, et contrariis allegationibus debilitata et conquassata, non probaret; Rota recent. part. 1, dec. 182, n. 5, part. 2, dec. 277, n. 3, p. 8, dec. 211, n. 16, p. 10, dec. 158, n. 11, dec. 301, num. 27, part. 16, dec. 99, n. 8, et sæpe alibi. Generaliter enim Fama per testes probata destruitur, vel incerta, et inconstans redditur ex depositione aliorum testium de contraria Fama deponentium; Rota rec. part. 4, tom. 2, dec. 276, n. 13, part. 8, dec. 99, n. 22, p. 10, dec. 158, n. 10, quo casu una Fama destruit aliam; Rota recent. part. 6, dec. 205, n. 10, part. 14, dec. 276, n. 13. (17. In concursu tamen Famæ bonæ, et malæ, semper est preferenda bona, etiamsi testes deponentes de bona Fama essent pauciores; Rota recent. p. 2, dec. 277, num. 2, part. 8, dec. 249, n. 27, cum variis aliis decisionibus, et Doctoribus ibi citatis.

(18. Fama probari potest per duos testes graves, fide dignos, et omni exceptione majores; cap. *Inquisitionis* 21, § *Quæsi* 2, de *Accusationibus*, ubi Fama censetur probata per duos, vel tres testes, et concordant cap. *In omni* 4, et cap. *Licet universis* 23, de *Testibus*, et c. *Cum esses* 10, de *Testamentis*, ubi allegatur illud Dominicum *Matth.* c. xviii, num. 16: *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*; et c. *Si testes* 3, § *Ubi numerus* caus. 4, quæst. 2 et 3, ibi: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficient; pluralis enim locutio duorum numero contenta est; » et leg. *Ubi* n. 12, ff. *de Testibus*, ibi: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficient; pluralis enim locutio duorum numero contenta est; » Sic expresse Glossa in l. *Testium fides* 3, verb.

Confrm. ff. de Testibus, dicens, quod Fama probatur per duos testes, cum jurant majorem partem populi ita sentire; Bartolus in l. *De minore* 10. § *Plurimum* n. 19. *de Quæstionibus*, Felinus in c. *Tertio loco* 5. n. 4. *de Probationibus*, Farinac. lib. 1. *Præx. crimin.* q. 47. n. 208. 210. et seq. Jul. Clar. in *Præx. crim.* § final. q. 6. n. 12. Menoch. lib. 8. consil. 701. n. 49. Mascard. *de Probationibus*, concl. 750. num. 1. testans de communi.

(19. Fama regulariter loquendo de per se non facit plenam probationem; Glossa in c. *Si testis* 3. caus. 4. qu. 3. vers. *Fama*; Felinus in cap. *Per tuas* 10. n. 13. *de Probationibus*, Abbas in c. *Transmissæ* 3. n. 10. *Qui filii sint legitimi*, Mascard. *de Probationibus* concl. 754. n. 1. testans de communi: Fama enim sæpe est fallax, nam « dictum unius facile sequitur multitudo, » textu expresso in c. *Cum in juventute* 12. *de Purgatione canonica*.

(20. Facit tamen semiplenam probationem in causis Civilibus; secus autem in Criminalibus, ubi requiruntur probationes indubitatae, et luce meridiana clariores; Glossa in c. *Veniens ad nos* 10. vers. *Illorum, de Testibus*, et Glossa in l. *Testium fides* 3. vers. *Confrm. ff. de Testibus* dicens cum aliis, quod Fama faciat probationem semiplenam; unde facit deferri juramentum; Speculator tit. *de notoriis Criminibus*, § *Fama est*, num. 3. Sannig tit. *de Probationibus* c. 4. n. 12. Card. Tusch. Litt. F. concl. 66. num. 19. Alexander consil. 103. n. 3 et 5. lib. 7. Sigismund. Scaccia lib. 2. *de Judiciis* c. 9. n. 84, 85. Rota recent. part. 3. dec. 374. n. 4.

(21. Immo in variis casibus Fama facit etiam probationem plenam. Primo enim Fama plene, et concludenter probat in antiquis, quæ excedunt memoriam hominum; c. *Cum causam* 13. *de Probationibus*; Rota recent. part. 1. dec. 75. n. 1 et dec. 445. n. 6. p. 4. tom. 3. dec. 292. num. 4 p. 5. tom. 1. dec. 64. n. 26. p. 3. dec. 475. n. 3. et sæpe alibi; Alexander consil. 83. n. 7. vol. 3. Reiffenstuel loc. cit. § 12. n. 406. Masc. loc. cit. concl. 734. n. 7. testans de communi. In antiquis enim cum sint difficilis probationis, atque ob temporum injuriam legitima documenta pereant, admittuntur etiam leviores probationes.

(22. Secundo, Fama plene probat, quando cum ea concurrunt alia adminicula: c. *de Appellationibus*, ibi: « Veritate per idoneas personas, et Famam loci sollicitè inquisita, » cap. *Præterea* 27. *de Testibus*, c. *Illud quoque* 11. *de Præsumptionibus* juncta Glossa ibi: Verb. *Fama loci*; ubi pluribus adductis dicit Famam sufficere ad probationem, si aliæ præsumptiones concurrant; Card. Tusch. litt. F. concl. 66. n. 3 et 65. testans de communi; Rota recent. part. 5. tom. 2. dec. 424. n. 5.

(23. Tertio, Fama facit plenam probationem in rebus modici præjudicii, et in causis levioribus, Bartolus in l. *De minore* 10. § *Plurimum*, ff. *de Quæstionibus*, Abbas in c. *Veniens ad nos* 10. n. 9. *de Testibus*, Felin.

ibid. num. 9. Mascard. loc. cit. concl. 734. num. 8 et 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 407, et alii passim.

(24. Quarto, Fama plene probat, quando agitur Remedio Canon. *Redintegrandæ* 2. caus. 3. q. 1. ad recuperandam possessionem. Tunc enim, probata publica Fama, restitui debet possessio agenti hujusmodi Remedio; Mascard. loc. cit. num. 24. Reiffenstuel loc. cit. num. 410. Ancharan. consil. 42. num. 2. testans de communi.

(25. Quinto, Fama plenam facit probationem in iis, quæ sunt difficilis probationis; Rota recent. p. 3 dec. 481. n. 3. Bartolus in l. *De pupillo* § *Si quis ipse* q. 8. ff. *de novi operis nuntiatio*. Alexandre consil. 66. n. 9. lib. 3. Card. Tusch. loc. cit. concl. 66. n. 66. Mascard. loc. cit. conc. 754. n. 22. Reiffenstuel loc. cit. n. 409, et alii passim.

(26. Sexto, Fama facit plenam probationem, quando agitur de periculo animæ, et peccato evitando, cap. *Super eo* 2. *de Consanguinit. et affinit.* ubi sola Fama loci de subsistenti impedimento impedit Matrimonium contrahendum, ibi: « Vel si non manifestum, Fama tamen loci hoc habet; » et Glossa ibid. verb. *Fama*, ubi expresse dicit: « Nota, quod Fama impedit Matrimonium contrahendum, » cap. *Cum in tua* 27. *de Sponsalibus* « et plus facit Fama hic, quam dictum unius, ubi juramentum intervenit » c. *Præterea* 12. *de Sponsalibus*. « Alias dictum unius, sicut et Fama impedit matrimonium contrahendum, » cap. *Super eo* 22. § 1. *de Testibus*. Hæc dicta Glossa, Reiffenstuel loc. cit. num. 411. Panimoll. dec. 19. adnot. 3. num. 4. cum plurimis ibi allegatis; Sanchez *de Matrimo.* 1. disp. 72. num. 13. Mascard. *de Probationibus* lib. 2. concl. 1031. num. 11. et 12. Piaseccas in *Præx. Episcop.* part. 2. c. 4. n. 39. vers. *Sic et si in contrarium*, Ventriglia tom. 1. *de Testibus in caus. Matrimonial.* annotat. 3. § 1. n. 18. et alii passim.

(27. Immo Fama impedimenti sufficit sine alia probatione ad impediendum Matrimonium inter sponso, etiamsi sponsalia fuerint firmata juramento, ut colligitur ex cap. *Super eo*, 2. *de Consanguinit. et affinit.* ubi deciditur, Famam impedire Matrimonium contrahendum, *fide imposita*, et ibi Glossa verb. *Fide* explicat, id est *juramento*. Sic Doctores in eodem textu, præsertim Cardinal. in fine, Abbas n. 5. Covarruvias 4. decretal. 2. par. c. 6. § 19. n. 11. Mascard. *de Probationibus* conclus. 1035. n. 12. Bossius *de Matrimo.* c. 7. § 13 et 125. cum seq. Piasec. loc. cit. Hurtad. *de Matrimo.* disp. 2. n. 68. vers. *Sic addidimus*, Gutierrez *de Matrimo.* c. 26. n. 13. et 14. Panimoll. loc. cit. Ventriglia loc. cit. num. 19. Sanchez loc. cit. n. 14. ubi dicit non esse attendendum Paludanum contrarium tenentem.

(28. Et de facto non adversatur textus in c. *Cum in tua*, 27. *de Sponsalibus*, ubi videtur disponi, quod ultra personam fide dignam requiratur Fama ad impedienda sponsalia juramento firmata, ut præterdit dictus Paludanus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3.

easu 9. n. 27. Non adversatur, inquam, quia ibi persona fide digna non designatur ut testis, sed tamquam denunciator, ut patet ex ipsismet verbis textus, ibi: « Quod si persona gravis, cui fides sit adhibenda, tibi denuntiet, quod hi, qui sunt Matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, et Fama, vel scandalo doceat. » Unde potius colligitur ex verbis textus Innocentium III disposuisse, quod etiam sola Fama sufficiat, si a denunciatore fide digno justificata fuerit, ut explicat Glossa ibid. verb. *De fama*, ibi: « Et ita sola fama impedit Matrimonium. » Et ex Alexandro de Nevo, Gutierrez, Barbosa, Sanchez tradit Bossius *de Matrimo.* cap. 7. § 32. num. 125. vers. *Neque obstat*, Panimoll. loc. cit. num. 5.

(29. Ut autem Fama sufficiat pro plena probatione ad impediendum Matrimonium contrahendum, non debet esse privata, ut si de ea constet Judici in privato, aut Judex de illa a multis in privato audiverit, sed est justificanda per legitimas probationes. Sic Glossa et Doctores in cit. c. *Cum in tua*, 27. *de Sponsalibus*, Butrius num. 7. Alexander de Nevo num. 16. Abbas num. 6. Gutierrez loc. cit. num. 14. Sanchez loc. cit. num. 15. Bossius loc. cit. num. 126. 127. 128. Mascard. loc. cit. num. 13. Panimoll. loc. cit. num. 6. Ventriglia loc. cit. num. 20. et alii dicentes, quod Fama privata non sufficit ad impediendum Matrimonium, sed solum dat facultatem ad inquirendum et ad recipiendum probationes de tali Fama.

(30. Fama non sufficit ad impediendum Matrimonium, si ex adverso de contraria Fama clariores habeantur probationes. Glossa in cit. cap. *Cum in tua*, verb. *Famam*; Rota recent. p. 1. dec. 182. num. 7. p. 8. dec. 211. n. 18. p. 9. tom. 1. dec. 16 num. 4. p. 15. dec. 318. num. 6. Paris. consil. 64. num. 24. volum. 3. Mascard. loc. cit. num. 14. Sanchez loc. cit. num. 16. Panimoll. loc. cit. num. 8. Ventriglia loc. cit. num. 22. et alii passim.

(31. Et ad deponendum contra hanc Famam admittuntur etiam propinqui, dummodo jurent; cit. c. *Cum in tua* 27. *de Sponsalibus*, ibi: « Vel contra Famam hujusmodi secundum tuæ discretionis arbitrium juramentum exhibeant propinquo. » Mascard. loc. cit. num. 15. Sanchez loc. cit. num. 17. Gutierrez. loc. cit. num. 15. Ugolin. *de Offic. et potest. Episc.* cap. 15 § 11. num. 7. vers. *Atqui*, Panimoll. loc. cit. num. 9. Ventriglia loc. cit. num. 23, et alii passim.

(32. Relinquitur tamen arbitrio Judicis, inspecta qualitate personarum, et contrariæ Famæ, an recipiendum, vel rejiciendum sit juramentum consanguineorum super impedimento Matrimonii ad elidendam contrariam Famam, ac attestantium inter contrahere volentes nullum adesse impedimentum, cit. c. *Cum in tua*, ibi: « Secundum tuæ discretionis arbitrium. » Mascard. loc. cit. num. 16. Ugolin. loc. cit. § 7. Menoch. *de Arbitr.* casu 243. num. 7. et casu 454. num. 2. Ventriglia loc. cit. num. 24. Panimoll. loc. cit. num. 10. et alii.

(33. Rumor, qui ex dictis supra num. 16. in multis differt a Fama, et est quid minus, quam ipsa Fama, quamvis ex probabiliori opinione non sufficiat ad impediendum Matrimonium, sufficit tamen ad effectum suspendendi, ne contrahatur, donec veritas indagetur. Cum enim agatur de periculo animarum vitando, ne forte peccatum incurrat contrahendo cum affine, et agatur de modico præjudicio, si sponsalia inter sponso inita dirimantur, cum facile possint reperire alium, vel aliam, cum quo, vel cum qua contrahant: hinc Rumor debet sufficere ad suspendendum Matrimonium, donec veritas sit indagata. Immo Butrius in cap. *Super eo* 5. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris* n. 7. et Præpositus ib. n. 4. et alii relati a Sanchez loc. cit. n. 10. volunt, quod Rumor sufficiat etiam ad impediendum Matrimonium per text. in leg. *Pactum ejus* 92. ff. *de Hæred. instituendis*, ubi Rumor fuit creditus justa causa credendi mortem cujusdam *Magnæ*.

(34. Fama impedimenti non sufficit ad dissolvendum Matrimonium contractum, et præcipue consummatum, c. *Si duo* 4. caus. 33. quæst. 6. Mascard. *de Probationibus* lib. 2. concl. 1034. num. 21. Sanchez *de Matrimo.* lib. 2. q. 45. num. 32. Panimoll. l. cit. num. 54. et alii passim, quia ut habetur in c. *Licet ex quadam* 47. in fine *de Testibus*: « Tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum relinquere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare. » Nam in constitutionibus suis potest Ecclesia, sive Romanus Pontifex conditor Canonum dispensare, non item in Lege Divina positiva de indissolubilitate Matrimonii legitime contracti, *Matth.* cap. xix, num. 6. et *Marci* cap. x, num. 9. ibi: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

(35. Fama publica existente contra Clericum fornicarium, hic debet se purgare: quod si nolit se purgare, vel deficiat, puniendus est textu expresso in cap. *Tua nos* 7. *de Cohabit. Clericor. et mulier.* (36. Fama tamen sola, nisi sit de crimine ita notorio, ut nulla possit tergiversatione celari, non sufficit ad condemnandum. cit. cap. *Tua nos*.

(37. Fama non potest prævalere veritati; Rota recent. par. 5. tom. 2. dec. 606. num. 18, præcipue si agatur de Fama mala producta ex vana populi voce, quæ non est attendenda; Rota recentior. part. 1. dec. 167. num. 29.

(38. Fama affirmativa, vel prævalet, vel conquassat negativam; Rota recentior. par. 6. dec. 28. numer. 13.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Magna est quæstio, an Homini sit dominium in famam suam? Qui famam cum externis bonis comparant, ii tenent esse Homini dominium in famam. At rectius alii neminem esse famæ suæ dominum sentiunt. Fama enim consequens est virtutis, si causam spectes. Quid ergo in famam tuam statuere poteris, si nihil potes contra virtutem, illæsa honestate? Si vero actum famæ for-

malem, ut dici solet, intelligas, ipsam nimium aliorum de tua virtute existimationem, quomodo erit in dominio tuo actus in animo alterius? Deinde aut existimatio tuæ virtuti conformis est, aut difformis. Si difformis, hæc fama non est, sed error. Si conformis, obtinet hæc quidem veræ famæ indolem, minui vero haud potest, nisi vel boni desinant recte judicare, vel ipse desinas agere; Confer Stryk. *juridic. Dissert.* tom. 2. disp. 15. cap. 5. n. 2. et plur. seqq.

(40. Hinc sequitur I. Non posse aliquem se infamare, salva conscientia. II. Ob evitanda tormenta, vel levia, vel gravia, non posse aliquem sibi imponere falsum erimen, etiamsi poena propter illud irroganda, illis tormentis

FAMILIA.

SUMMARIUM.

1. Familiæ nomen idem importat ac agnatio. — 2. Familia alia dicitur effectiva, et alia contentiva, et quæ sit utraque. — 3. Ut quis dicatur de familia contentiva, quid requiratur. — 4. Familia contentiva est duplex, una proxima, et altera remota, et quæ sit utraque. — 5. In concursu duarum linearum proximioris, et remotioris intelligitur vocata proximior, non remotior. — 6 ad 40. Familiæ appellatione, quando contentiva veniat, et quando effectiva. — 41 ad 42. Quando vocata est Familia in genere quæ sit intelligenda. — 43. Agens ad Fideicommissum quid de Familia probare debeat. — 44. Quid Contentens succedere in Majoratu. — 45. Quando in Majoratu masculi ex feminis non intelligantur vocati. — 46 ad 48. Quibus in casibus Femina non veniant appellatione familiæ. — 49. Dum plures familiæ successive vocatæ sunt ad Beneficium jurepatronatus, quid si proximior presentandus tempore presentationis sit inhabilis ex defectu ætatis. — 20. Inter plures passive vocatos potest Patronus, neglecto Clerico actuali, presentare in fine quadrimestris, si agatur de jure patronatus Ecclesiastico, alium tunc effectum Clericum, qui de tempore vacationis erat Laicus. — 21. Hoc autem procedit, ubi capacitas requiritur de tempore presentationis. — 22. Capacitas quando censetur requisita de tempore vacationis, et quando de tempore presentationis. — 23. Vocatis proximioribus de duabus familiis distinctis, cui presentatio competat. — 24. Vocatis pluribus familiis cum lege, quod presentatio pertineat ad proximiores, et seniores, proximioritas, et senioritas quomodo intelligatur. — 25. Reservato jurepatronatus activo seniori de familia, et passivo omnibus de familia, in hoc jure passivo censetur inclusus etiam ipse senior habens jus activum. — 26. Presentatus de familia Fundatoris in paritate vocum præfertur presentato de familia patronorum. — 27. In paritate vocum præferendus est presentatus, qui est unus de compatronis, et de familia Fundatoris. — 28. Et gratia, seu provisio Apostolica impetrata cum derogatione medietatis vocum, et gratificatione ad favorem impetrantis est subreptitia, et nulla, si non fuit expressum Summo Pontifici, quod alter presentatus erat unus ex compatronis, et de familia Fundatoris. — 29. Major pinguedo vocis non dat prælationem, si presentatus ab altero cohæredere sit de familia, et genere Fundatoris. — 30. Verba concessionis *ipsis posterisque suis*, et post illorum obitum seniori, et antiquiori dumtaxat de domo illorum sunt personalissima, et restrictiva. — 31. Amplia, etiamsi concessio facta sit pluribus fratribus. — 32. Vocatis eis de parentela, seu familia in genere, presentatus a Patrono instituendus est, non attendita qualitate proximioritatis. — 33. Quando vocatur proximior, et antiquior de familia, præcedentiam habet proximioritas supra se-

gravior, et ultimi supplicii foret. III. Neminem posse obligare famam in commodum alterius, ut si hic ex. gr. non præstet datam fidem, ipse velit maleficus reputari, aut obnoxius esse arbitrariæ illius contumeliæ, cui fidejusserit; Idem Auctor *ubi supra*.

(41. An quis cum periculo suæ famæ alterius famam teneatur restituere? Quomodo teneatur, qui injuriam tantum materialem intulit; verb. gr. detulit apud Superiorem aliquem bona fide, seu ignoranter de falso crimine. Item quid juris, si damnium bonorum per meam infamationem aliquis passus sit? Vide Fagundez *ad Decal.* lib. 9. cap. 15. Molin. tract. 4. disput. 40. n. 3.

nioritatem, et intelligitur senior inter solos proximiores. — 34. Spectante jurepatronatus ad tres familias proximiorum, si ex lege Fundatoris debeant presentare solum duo ex proximioribus, tunc in proximo ingressu præferuntur duo seniores ex dietis proximioribus. — 35. Vocati per posterius non possunt impedire Clericatum favore prius vocati. — 36. Concurrente Laico de linea primo vocata, et Clerico de linea secundo vocata, Ordinarius tenetur Clericare Laicum de linea primo vocata, illumque instituere. — 37. Nec tali passive vocato currit tempus quadrimestris, seu semestris, si intra illud petiit Clericatum, et Ordinarius ex sui culpa distulit illum ei conferre. — 38. Tempus quadrimestris, seu semestris, sicut competit Patronis ad presentandum, ita passive vocatis ad comparendum. — 39. Vocatus in jurepatronatus passivo non potest præteriri per Patronum. — 40. Passive vocatus dicitur presentatus per Fundatorem, et venit instituendus, etiamsi Patronus illum presentare recusaverit. — 41. Vocatus per Fundatorem cum præcepto, quod hæres eum presentet, dicitur presentatus ab eodem Fundatore. — 42. Patrono recusante presentare quem nominavit Fundator, potest hic nedum irrequisito, sed immo etiam invito Patrono, obtinere Institutionem. — 43. Oppositio passive vocati habetur pro presentatione. — 44. Ordinarius conferendo jure devolutio tenetur, servata forma in fundatione Beneficii præscripta, conferre passive vocatis. — 45. Et id observat etiam ipsamet Sedes Apostolica in Beneficiis ad ipsam devolutis. — 46. Presentatus per medietatem vocum, et habens gratiam Apostolicam cum derogatione alterius medietatis, præfertur alteri solam medietatem habenti. — 47. Habens unam vocem privativam, et alteram cumulativam præfertur habenti unam tantum cumulativam. — 48. Clericus, in paritate gradus, præfertur Laico. — 49. Item inter pares gradu æque dilectos præfertur ætate major, et Clericus antiquior. — 50. Item in Beneficio licet Sacerdotali in habitu præfertur Sacerdos Clerico. — 51. Ubi Fundator requisivit Sacerdotium in habitu, præfertur ille, qui est Clericus de tempore vacationis alteri, qui est Laicus, et Clericatum assumpsit tempore quadrimestris. — 52. Civibus, et Parochianis tamquam compatronis competit privilegium prælationis in paritate vocum. — 53. Compatronus in paritate vocum habet prælationem de jure ad Beneficium. — 54. Habens qualitatem sanguinis, et Patronalem ceteris paribus anteponeendus est habenti tantum qualitatem Sanguinis. — 55. Compatronus in paritate vocum præfertur consanguineo alterius Compatroni presentato. — 56. Item Compatronus habens etiam juspatronatus passivum in paritate vocum gratificandus est in concursu presentati etiam passive vocati, sed non compatroni. — 57. Item presentatus in paritate vocum semper præfertur in concursu extranei, quando est con-

sanguineus ipsius Patroni licet extranei. — 58. In Beneficiis etiam vere Sacerdotalibus Sacerdos aptitudine, et de sanguine præferri debet extraneo licet

(1. Familiæ nomen idem importat ac agnatio, seu denotat agnationem; Rota recent. part. 4. tom. 1. dec. 518. num. 11. et par. 19. tom. 1. dec. 588. numer. 3. Card. de Luca de *Jurepatr.* disc. 26. num. 6. Piton. de *controvers. Patronor.* allegat. 77. et alii passim (1).

(2. Familia alia dicitur effectiva, et alia contentiva. Familia effectiva dicitur illa, cujus ipse testator, seu disponens est causa efficiens vel stipes, ac ideo non est verificabilis, nisi in ejus descendentes. Contentiva dicitur illa, quæ comprehendit omnes agnatos, et est verificabilis in omnibus transversalibus; Card. de Luca in summa *Fideicommissor.* num. 148, et alii communiter. (3. Ut quis dicatur de familia contentiva, requiritur concludens probatio descendentiæ a communi stipite, quod sit agnatus legitimus, quod justificetur identitas armorum, et insignium sine diversitate coloris, quæ solet inferre familiæ diversitatem; Rota recent. part. 7. dec. 15. num. 29. et seq.

(4. Familia contentiva est duplex, una proxima, seu proximior, altera remota, seu remotior. Proxima, seu proximior est, quæ descendit a patre, vel avo disponenti. Remota autem, seu remotior est, quæ originem trahit ab avo, vel alio ulteriori communi stipite; sic Cyriac. *controv.* 281. num. 72. et seq. Carolus Antonius de Luca de *Linea legali* art. 15. num. 31. Mansius consult. 368. num. 4. et seq. lib. 4. Rocca *disp. Select* cap. 2. num. 7, et alii.

(5. In concursu duarum linearum proximioris, et remotioris, intelligitur vocata proximior, non autem remotior. Bald. *consil.* 321 sub n. 1. Socin. senior *consil.* 33. sub num. 8. vers. *Præterea*, et seq. lib. 3. Mansius d. consult. 368. sub num. 6. in fine; Rocca l. c. n. 8, et alii passim.

(6. Familiæ appellatione, quamvis in dubio veniat etiam contentiva, comprehendendo omnes agnatos etiam transversales ex adductis per Gabriel. *consil.* 132. qu. 6. num. 59. lib. 1. Simon. de *Pretis de Interpretat. ultim. volunt.* lib. 3. interpret. 3. dub. 1. solut. 11. n. 26. Rota in Romana *Fideicommissi* de Misinellis 17. Junii 1615. coram Patriarcha Pamphilio impressa a Farinac. dec. 707. num. 6. par. 2. recent. Cardin. Seraphin. decision.

(1) Posterioribus hisce temporibus Rota in contrariam abiit sententiam, nomine scilicet familiæ non minus Agnatos, comprehendit quam Cognatos, ut in Mediolanen. *Canonicatus Theologalis* super reservatis 9. Februarii 1759, § 11, et 18. Junii ejusdem anni § 3, coram Ratta Decano in Placentina *Canonicatus* 17. Junii, § 5, coram Paraciano, in Faventina *Legati* 26. Junii 1780, § 3, coram Soderino. Quin immo ut familiæ nomen solos indicet cognatos satis non est, ut ei adjungatur cognomen. Dupliciter siquidem potest adjungi, *personaliter* nempe et *impersonaliter*. Primo casu ut si dictum esset Familiam Titii instituo, ideo ex persona Titii *personaliter* adjectum cognomen censetur, ideoque in dispositione et Agnati comprehenduntur et Cognati, cum æque utrique merito dici possint ex familia Titii.

actu Sacerdoti. — 59. Pene omnia, quæ Auctor deseruit, ad quatuor inspectiones reducuntur. — 60. De singulis, *remissive*.

1438. num. 4. Stephan. Gratian. *Discept. forens.* cap. 645. num. 3 et 4. et Rota recent. part. 2. dec. 707. num. 2. et 6. par. 5. tom. 1. dec. 302. num. 6. et 7. par. 19. tom. 2. dec. 386. num. 1. Tamen, quando constat, testatorem, seu disponentem sensisse tantum de familia effectiva, tunc veniunt solum descendentes ab ipso testatore, seu disponente, non autem transversales, ut tradunt Simon de Pretis loc. citat. *Ruin. consil.* 153. num. 10. lib. 2. Paris. *consil.* 51. numer. 10. et *consil.* 88. num. 36. lib. 2. et *consil.* 1. num. 59. lib. 3. Socin. junior. *consil.* 91. num. 61. lib. 1. Barbosa de *appellativa verborum juris significatione* verb. *Familia* num. 1. et 2. cum pluribus aliis ibi allegatis; Rota recent. part. 2. dec. 707. num. 3. cum aliis Doctoribus ibi citatis, ubi quod testator senserit tantum de sua familia effectiva, visum fuit colligi ex verbis testamenti, ibi: « Sed quando Deo placuerit, Casale in ejusdem Familia remanere debeat, » ponderando illud pronomen *ejusdem*, quod denotat personalitatem secundum jura ibi allegata, et Doctores citatos.

(7. Et quod testator, seu disponens senserit solum de familia effectiva, colligitur quoties vocavit illam addito pronomine *sua*, vel *ipsius*, aut *ejusdem*, et similibus; Rota recent. par. 2. dec. 707. num. 3. part. 5. tom. 1. dec. 362. num. 7. et seq. part. 8. dec. 203. num. 6. par. 12. dec. 254. num. 7. et dec. 318. num. 7. et part. 13. dec. 1. num. 14. Menoch. *consil.* 233. num. 20. et *consil.* 1171. n. 3. et de *Præsumpt.* l. 4. præsumpt. 88. num. 2. Stephan. Gratian. *Discept. forens.* tom. 3. cap. 645. n. 5. Barbosa loco citato num. 2. cum pluribus aliis ibi citatis, Pitonius de *Controvers. Patronor.* allegat. 75. a num. 36. ad 46. cum juribus, et DD. ibi allegatis.

(8. Limita primo, pronomen *ipsius* comprehendere etiam familiam contentivam, deficientem effectiva, ut quando dispositio facta ad favorem familiæ non potest verificari in descendentes, ex quo non extant, vel quia vocati sunt illi, qui non possunt habere filios, ut Sacerdotes; nam tunc appellatione familiæ veniunt transversales de familia; Rota recent. par. 8. dec. 203. n. 7. Menoch. *consil.* 106. n. 229. et *consil.* 434. n. 12. et con-

Secus autem est si, nulla designata persona, nominata sit Familia *Montalcina*. Hoc quippe casu cum nonnisi Agnati Familiæ nominate cognomen ferant, ideo exclusis Cognatis Agnati tantum vocati censeri debent, ut distinguit eadem Rota coram Tanario dec. 99. num. 8. coram Rezonico. dec. 14. num. 6. in Pisaren. *Immissionis*, 15. Maii 1750. § 4, coram Cortiada, in Nepesina *Fideicommissi* super Re judicata, 15. Junii 1753, § 12, coram Mattheo, in Placentina *Canonicatus* 27. Apr. 1759, § 7 et 27. Junii 1760, § 5, coram Paraciano, et pluribus collectis in *Æsina Canonicatus* 9. Junii 1780, § 1, coram Soderino, et in Faventina *Legat.* 26. Junii 1780, § 4, coram eodem. Ex his declara Auctoris opinionem, de qua n. 16, infra. (EDIT. BARBIELL.)